

Johann Klein von

Rector Academiæ Rostochiensis Johannes de Klein ... Funus ... Virginis Annæ Elisabeth, Lindemanniæ, Omnium Virtutum Gratiarumqve Genere Exornatissimæ, Qvod Consternata Præmaturo Filiæ Funere Mater, Foemina Virtuosissima, Anna Kortholtia Die IX. Junii ... Parat, Solenniter Indicit, Et Simul Ad Illud Cohonestandum Omnes omnium Ordinum ac Dignitatum Cives Academicos ... invitat : [P.P. sub Sigillo Rectoratus d. 9. Junii Anno 1713.]

Rostochi[i]: Weplingius, [1713]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767500342>

Druck Freier  Zugang



Klein, J. de
in
A. E. Lindemann.

Rostock.(1713.)

13

Sp.

RECTOR

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

JOHANNES de KLEIN,

SERENISSIMÆ AC POTENTISSIMÆ REGINÆ
BORUSSORUM VIDUÆ, ET SERENISSIMI DUCIS REGENTIS
MECKLENBURGICI CONSILIARIUS INTIMUS, CANCELLARIUS
ET CONSISTORII DIRECTOR, J. U. D. EJUSQVE IN ALMA
PATRIA ANTECESSOR PRIMAR. ET ORDINAR.

FUNUS

NOBILISSIMÆ LECTISSIMÆ QVE

VIRGINIS

ANNÆ ELISABETH.
LINDEMANNIÆ,

Optimum Virtutum Gratiarumqve
Genere Exornatissimæ,

Quod

CONSERVATA PRÆMATURO FILIÆ FUNERE MATER;
FOEMINA VIRTUOSISSIMA,

ANNA KORTHOLTIA

DIE IX. JUNII a. c. PIE, AC DECENTISSIME PARAT,
SOLENNITER INDICIT,

ET SIMIL AD ILLUD COHONESTANDUM

*Omnes omnium Ordinum ac Dignitarum Cives Academicos
quafas est, humanitate invitat.*

ROTOCHL, Typis JOH WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.
Et UNIVERS. ТРОСК.





Vod Primum mortalitatis solatium fit.:

Moriendi Necessitas!

Ut nuperi funebris mei Programmatis die 26. Maij. a c. promulgati ultima verba erant, cum ad exequias Beatæ ZEIDLERIÆ, Celebrandas Vos, Cives Academici O. O. H. invitarem, ita hodiè

eadem verba præsentis mei non minus funeralis Programmatis, quò Vos ad funus Beatæ Virginis LINDEMANNIÆ, eâ qua fas est, humanitate invito, primâ facio; siquidem Primum mortalitatis solatium.:

Moriendi Necessitas!

non est mutabile, sed manet inconcussum, nec potest corrigi, nec limitari aliter, quam quod huic longior, alteri brevior mora, & sic simul æternæ beatitudinis dilatio fit,

Hæc cum ita sint, non errabo, si dixero: Optimam æque ac Veram esse cogitationem, quando servamus talem: **Commune hoc mori esse**

æq; ac nasci; Nam mens, quæ ad ista assurgit, ad minimum ad luctum non demittitur, qui reprehensionem meretur, & scit mortem humano generi non tam supplicium esse, quàm tributum. Dictorum confirmationem dant experimenta casus utriusque numerosa, quæ confiteri nos obligant, quod ut inter mortes & funera nascimur, ita inter eadem & educemur & vivamus, unde etiam quocunque oculos vertimus, ante eos morientis imago est.

Hæc igitur humana & fragilitatis nostræ certissima

tissima documenta ita nos præparare deberent, ut non amplius ad Luctum demitteremur, sed essemus hoc in casu sensus expertes, & sic mortis necessitati tanquam vitæ nostræ conditioni & termino sine animi affectu ad minimum luctuoso nos subjiceremus. EPICLETUS, SENECA, TULLIUS, aliiq; similes sua suffragia eadem promptè addunt, dum *nihil immortale ex mortalibus nasci posse; crudelitatem fati* (si ita Christianum loqui fas sit) *æqualem esse omnibus; stolidum esse nil profuturo gemitu pectus deducere; accusari fata, non flecti, non mutari posse; sapientis esse iis carere posse, quæ amavit maximè*, inculcant mortalibus, edocentq; Stoicorum placitis mortalitatis dispendia esse, levanda, pectus adversus jacturam domesticam necessitatis lege esse muniendum, & pariter habendum esse, socio passu incedere & dolorem & voluptatem.

Ast hæc dum scribo, tinnit auris: Non magni esse laboris de mortis contemptu & patientiâ philosophari, at illam sibi imperare, esse maximi; nam aliud esse stoicismum acutè dictis interpolare, aliud vitâ exemploque profiteri. Et si dicam quod res est, diffiteri non valeo veritatem, siquidem si ullo in casu sanè in hoc Praxis à Theoria inducit exceptionem, imò è diametro deprehenditur contraria, ipsos Ethnicos consulentes sive SENECAM, sive TULLIUM, sive EPICLETUM sive plures velis, alios in Theoria, alios in Praxi suæ doctrinæ se præbent. Unde etiam quàm cordatè ubiq; de rerum adversarum æquâ tolerantiam differit CICERO, tam impatienter è contrario fert suorum obitum. Sic aut multis verborum lenociniis, aut gravibus sententiis svaderi mortis contemptus, &

super illam moriendi necessitatem dissuaderi luctus potuit, ast in Praxi obtinet contrarium, & nullibi quisquam reperitur, qui eveniente tristi tragicoque casu non sentiat, non sentiat, inquam, quam longè absit à Stoâ. Desiderata enim hæc in Praxi patientia cum non nisi robur à calamitatum domesticarum consuetudine capiat, nec is esse potest mortis verus contemptor, nisi suorum mortem absque affectu ferre didicit; ad quam ita ferendam hoc opus, hic labor requiritur, & omnis impenditur sine effectu per totum vitæ decursum opera Hinc vehementer conqueri audimus *Maritum* de præmature uxoris suæ charissimæ obitu, & *uxorem* summè contristatam videmus de morte svavissimi sui mariti, hinc lugent *Liberi* Parentum mortem, & *Parentes* dolent obitum Liberos impensissimè. Sic Luctus frequens & ubique est, quoties amittuntur ea, quæ dileximus, quæ impensè amavimus.

Exemplum hujus luctus acerbissimi hodiè præbet MOESTISSIMA VIDUA & MATER super obitum Filiaë suæ unicæ dilectissimæ; dum hodiè & eam amissam conqueritur, & orbatam acerbissimè dolet. Non sine fundamine ego hodiè hæreo, an huic Mœstissimæ stoicismum commendare debeam, non tantum ex eo, quod ultra Philosophiam non detur, & eum exercere sit impossibile, sed etiam, quia non unius funeris dolore hodiè tangitur, Nam vidua & Mater est, sic utriusque luctus causam habet, nondum enim per 14. & quod excurrit, annos decoxit dilectissimi sui mariti præmaturum sanè obitum, dum, annos vix 36. compleverat, non sine sui ipsius, sed & Academiæ & Ecclesiæ nostræ tanquam Excellentissimi Doctoris Theologi, & Professoris Philosophi jacturâ

rá ; & quem Academia nostra adhuc dum luget , & Vidua sic adhuc Maritum lugens , pariter non ita pridem mortuam matrem dolens , jam novo obruitur luctu per suæ dilectissimæ , suæ charissimæ Filiaë obitum, æqvè omninò præmaturum, sic filiaë obitus Matri in ulcere ex præmaturò Mariti obitu inducto est unguis , pristini ob amissum Maritum luctus causas intempestivè refricans, & pristinus luctus novi socius fit.

Qvis igitur hodiè duplici imò triplici luctu eòq; justissimo involutæ & Viduæ & Matri tanquam duplici imò triplici domesticâ calamitate insigni valdè exercitæ iret inficias ? si fatali novo apparatu, & flebiliscenâ unicè & adèò intenta esset ; ut *cuperet* hinc secum omnes flere Amicos, & ad animum revocare, quæ ipsam solam tangunt , ut *cuperet* videre Rostochienses atratos omnes, squalidos, luctu & mœrore fractos, ut rerum undiqvè miserandarum adspectu frueretur liberalius ; ut *cuperet* nocte tegi solem, nec dies illos unquam candidos mortalibus oriri, quibus & splendidissimæ suæ & familiaë Coronæ *Mariti desideratissimi*, & charissimi sui Pignoris, *Filia dilectissima unica* jactura mactata est, quibus sua lux, sua vita *Maritus*, suum delictum, suum alterum è mariti amore conjugali relictum solatium, sua voluptas, *Filia* occidit, & ut jam misera per 14. annos fuit, quia Vidua fuit, ita jam magis misera habenda, quia adhuc Vidua, & insuper Filiâ suâ unicâ orbata Mater est.

Dum autem hæc scribo, non facilè persvadeor, fore quenquam, qui Matrem Luctuosissimam minus hodiè dolere veller, cum ob Flii unici obitum (quem Deus diu prohibeat) non doleat, ex ratione eâ, quod ut *mater*, licet dolorosa omni in partu puerpera, ut

plurimum partus sui dolorum ex filii natalibus illi-
cò, & multò citius oblivisci, & plusculum gaudii ejus
causâ concipere soleat, quàm cum parit filiam, ita quoque ob filiaë obitum minus dolere debeat ma-
ter, sed sciat quisquis fuerit, sciat, inquam, quod ad-
huc sub iudice lis sit, an filiis, an filiabus natis ma-
jus dandum sit gaudium? aut denatis iisdem major
concedendus dolor? Nam præter id, quod æquè du-
bia, si non magis anceps felicitatis spes in nato filio,
quàm filia sit, quia uterq; mortalis est, sequiori etiam
ut vocant, sexui sua est Majestas, nec fas est, eam
inter naturæ errores & hallucinationes haberi, si qui-
dem hinc PAULUS, ubi viros salutatur, etiam meminit
Tryphina, Triphosa, Olympia, Persidis, Julia, sceminarum
Virginumque, & JOHANNES APOSTOLUS secun-
dam Epistolam inscribit *Electa Domina*, & si plura
ut addam testimonia necesse est, non negandum esse
censeo, SARAM & AGARAM fuisse typos cœlestium
rerum, & qui primi Salvatoris tumulum adibant scœ-
minæ erant, MARIÆ & MAGDALENÆ, tardius
ANDREÆ, tardi venere SIMONES. Ut hinc non
videam, quò meritò sexui sequiori sua denegari
queat majestas, aut non & sua debeatur Laus? Quæ
cum ita sint, nec præstet parere filium, quàm scœmi-
nam, nec est, cur æqualem eumque insignem luctum
Mœstissimæ super obitū filiaë suæ unicaë matri velim
ire inficias, aut sui doloris hic determinare gradus,
nam jactura hæc vel ideò est planè singularis, quod
post Mariti sui charissimi discessum unico tantum,
utriusque sexus germine, filia & filio solata sit, jam al-
tera sui solatii parte prorsus destituatur; & sic jam
tum oriente pristini luctus casu nepotum Linde-
manniorum spes in arctum contracta, hodiè adhuc
arctius contrahatur. Hæc

Hæc sola luctus infrequentis causa sufficeret, quâ Mœstissima Vidua & Mater præsentem iustissimum & infrequentem Luctum vindicare posset, nisi mihi hodie incumberet, aliam superaddere eamque non minorem. Nam amittere Filiam exoptatissimam insuper dolorosum valde est, & avelli à Matre filiam dulcissimam *Unicam* & virtutibus sui sexus nulli secundam, est acerbissimum.

Tacere hinc nequeo laudes Filix hujus demortuæ Virginis, sexus sui exquisitissimis & optimis & omnibus Virtutibus commendatissimæ promeritas, nisi vellem ipsi esse injurius, quas omnes autem si recensere vellem virtutes, quibus sexum suum egregiè ornavit, prolixæ indigerem orationis, hinc hodiè tantum paucis dico: In Virgine hæc honestissimâ ac formosâ recubuisse Virtutes, easque suum servasse constans domicilium. Nam plura dicere & temporis & pagellarum angustia ferè non permittunt, unde tantum addo, quod ut à primis vitæ annis Parentibus erat insigne delictum, ita suâ singulari obedientiâ materno affectui, & Virtutibus, ac morum suavitate Propinquis & Cognatis & quibuscunqve bonis se commendatissimam servabat. Formam, quam ipsi dederat natura benigna elegantem, pietate verâ ac modestiâ reddebat elegantiorè, ut in juvenili ætate jam tum referret SARAM, precum indefesso studio ANNAM, quo in baptismo appellata erat nomine, LYDIAM comitate & facilitate erga Dei Præcones & quoscunq; bonos, MATREM autem pari & castitate & patientiâ. Et sic nostra jam beata Virgo, *Pia* sine furo, *Castâ* præter seculi morem, *modesta* sine affectatione, *facunda* sine garrulitate, *Prudens* ad invidiam sui sexus, & rei familiaris *fida* Matris administræ *socia* erat, & quod
primum

mum nominare debuiffem, DEUM & devotiffimè colebat, & in fpiritus veritate Venerabatur.

Quot igitur Virtutes ejus cogitat mater mœftiffima, tot damnis, tot doloribus premitur, quos fi confundere velit, prope eft, ut ab omnibus obruatur; fi diftinguere, pluribus modis mifera manet. Neutrum igitur ut fiat, & acerbiffimus levetur dolor, folatii loco erit Mœftiffimæ Matri, ut *cogitet*, quod quantum Liberorum hic deciditur, tantum reperiatur bonorum, quæ indulfit antè divina clementia, & quod velit Deus in uno Filio refiduam ipfi effe fpem nepotum, qui nomen LINDEMANNIANUM propagent, quem Deus mœftiffimæ matri fervet, ut impleat ex affe fpem fuæ matris, & fervet renovetq; memoriam fui Parentis optimi adhuc poft fata optimam *Cogitet* mœftiffima, quod ea vitæ humanæ conditio fit, ut ægrius feramus malorũ præfentiam, quàm abfentiam boni, hic fi quidem foleo damno, illic fenfu fumus miferi *Cogitet* mœftiffima, fi Filia exoptatiffimæ unicæ adfpectu ipsam ulterius frui nolit Deus, volupe tamen effe, Virtutum ejus meminiffe, & quod Filia fuerit depositum quidem fuum, fed magis DEI, qui depofuit apud illam educandum, & repetit fide ad Christum falvificâ jam clarâ, fic in fpem Patriæ cœleftis & æternæ educatum, qui prior dedit; Et fic *cogitet* mœftiffima, quod non iniquè is repetat, qui fua non noftra repetit, nec præmaturè repetat, quæ ad mortem matura fuit, ex quo nata eft. *Cogitet* Mœftiffima, tam certum quàm quod certiffimum effe; Quò quis citius in portum tam appli at, eò Celerius vota exfolvere debeat, & quod fimus omnes navigantibus fimiles, qui dum longius obortâ tempeftate navigare prohibentur, in proximos finus defleant, *cogitet* Mœftiffima, quod
flores

flores plurimos videamus, quos in ipsa ἀκμή & vigore tolli tempestivum fit. Sic solabitur, & patienter agnoscet, nil superesse, quod filiae mortem præmaturam nominare, eamque ejus causâ acerbissimè dolere velit. Potissimū si porrò cogites mœstissima, quod filia non periit ut vulgari errore loqui solemus, sed abiit, transiitque in loca lætiora & ad meliorem vitam. Jam igitur cur Piam, cur Optimam Filiam & verâ fide & fiduciâ in suum Redemptorem constanti intimè imbutam lugereat? quæ inter beatos vivit, & extra vitæ hujus ærumnas in tuto est. Cogites mœstissima mater, quod è vinculis in libertatem abiit, ex angoribus ad gaudia; quid jam iniquius, quàm filiae causam lugere? ubi ea se in libertatem ex ergastulo vindicavit.

Emensa igitur Filia est stadium, in quò currimus & sudamus etiamnum, metamprehendit, palmam tenet, quia ad indolem *Virginum quinque Sapientum, & pro suâ salute vigilantium* se composuit; Coronam fide suâ salvificâ victrix habet; unde, ut cum parta victoria nemo Duces, nemo milites miseratur, sed publicis potius gratulationibus excipit, ita potius gratulamur Filiae ad summa evectæ, & de non impedita cœlestis Patriæ fruitione. Nam eò modo & felix, & læta, & gloriosa vitæ Filiae jam beatæ vocanda catastrophe est, dum & placidâ & piâ hominis Christiani ad instar morte est finita.

Hæc enim exceperit morbum corporis præcedaneum, quem Beatissima nostra passibus quidem initiò tardis, sed postea eò magis violentis collegit. Unde factum, ut optima Virgo vel de valetudine non sollicita fuerit, vel dubia valetudine contenta vitam ægram egerit, usque dum ea vires ægræ superaret; nam præter id quod corpus alio affectu pessundatum erat, frequentî correpta singultu est, qui subinde remisit, subinde intermisit, subinde comitatus eum est vomitus humoris acidi acerbî. Mutationes istæ ex hoc singultuoso morbo variæ & recurrentes & intermittentes aut securam

nimis reddiderunt ægram, aut ad minimum ansam contemnendū singultum dedere, eousq; donec præcordiorum anxietates pectoris dolores, ac tensiones nuchæ supervenirent, cum cephalalgia insigni eaque frequenti. Hoc rerum statu magis periculoso tandem de remediis cogitabat, & utebatur ægra consiliis Professoris Medici Prim. & Ordin. & Ser. Ducis Regentis Meclenburgici Consiliiarii Aulici & Archiatri D. SCHAPERI, qui omni industria ac remediis convenientibus vim morbi non tantum sæpius infringebat, sed etiam planè frustraneam reddebat, ut hinc per aliquot dies se liberam, & jam ferè restitutam haberet, donec sub recidivâ vi majori potitus laborem omnino frustraneū & irritum fuisse, majori impetu edoceret singultus. Hic ad Convulsivos morbos pertinens affectus febrili porro superveniente non levabatur, ut aliàs convulsio superveniente febrili solet, sed potius cum febre superveniente ruebant omnia in deterius, & continuâ eâ & sæpius sub paroxymo erratico aucta, & ex acie & vellicante & obstruente inflammatio non tantum simul inducta prodebat, sed superveniebant convulsiones per totum corpus se diffundentes, quibus & vires ægræ fractæ, & vita diei Junii in Domino finita est.

Durante autem hoc & molesto & gravi morbo, tantum aberrat, ut patientiam semel ipsi consuetam mutaret, ut potius eam servaret immutabilem, & suo exemplo nullam patientiam majorem, quàm quæ virginum & foeminarum esse solet, probaret. Patientiæ huic constanti comes erat comitas, & socia individua Pietas sic amicis eam invisentibus suavis erat, & devotis cogitationibus ad Deum Triunum suum Creatorem, & Jesum Christum unicum Salvatorem, & Spiritum Sanctum Sanctificatorem directis, & precibus ac suspiriis in fide fundatis gratiam Dei sibi confirmabat, sub quâ tanquam sub custodia & tutiori munimento post pericula hujus mundi secura ab omni malo reddita triumphat, & secundum animam Deo, Angelis, & Beatorum sedibus jam adest.

Ut autem constet quibus nata sit Parentibus, ejus Genealogia laudabilis & optima sequentibus erit aperta.

Nata est Virtuossissima Virgo LINDEMANNIA Rostochii Anno 1690. 11. Novembris, Patremque habuit Virum Admodum Reverendum, Amplissimum & Excellentissimum Dn JOACHIMUM LINDEMANNUM. S. S. Theol. Doctorem celeberrimum, Metaphysicæ & Physicæ in hâc Almâ Prof. Publ. ordin. famigeratissimum, & ad D. M. ruz. Eadem Archi-Diaconum longè meritissi-

imum

num, jam defunctum. *Matrem* verò venerata est adhuc superstitem
Fœminam virtuosissimam, mœstissimam hodiè, & adhuc eandem Vi-
duam, ANNAM KORTHOLIAM. *Avus* Paternæ lineæ fuit
Vir quondam Pl Reverendus, & Amplissimus Dn. JOACHIMUS
LINDEMANNUS, primò ad S. Petri per octodecim annos Dia-
conus, deinde ad div. Mariæ ædem ArchiDiaconus per septem annos
meritissimus. *Avia* autem fuit Matrôna omni pietatis & virtu-
tum splendore valdè conspicua EVA GOLDSTEINS. *Avus* Ma-
ternæ lineæ fuit, Vir admodum Reverendus, Ampliff. & Ex-
cellentissimus Dn. CHRISTIANUS KORTHOLTUS, S. S.
Theologiæ Doctor celeberrimus, & Professor in Academia
Kiloniensi Primarius, ejusdemque Academiæ à Serenissimo Duce
Cimbriæ constitutus Pro-Cancellarius perpetuus, & sub vitæ suæ finem
Academiæ Pro-Rector Magnificus. *Avia* ejusdem lineæ maternæ autem
Matrôna sui sexus virtutibus corrusca ANNA KIRCHOFFIN,
quæ vix ante quatuor menses placidâ morte suam jam beatam nepo-
tem prævit. *Proavus Paternus* fuit vir quondam Præ-Nobilissimus
Excellentiff. & Consultiff. THOMAS LINDEMANNUS, Her-
vordiâ Westphalus J. U. D. ejusque Prof. Publ. in hac Almâ meri-
tissimusq; simulq; Civitatis Syndicus, Comes Pal. Cæsar & Serenissimi
Ducis Mecklenburgici quondam Regentis

**DN. ADOL-
PHI FRIDERICI** gloriosæ recordationis Con-
filiarius. *Proavia* autem paterna, ELISABETHA HAHNIA, ex
Patricio HAHNIORUM Stemmâ hic oriunda. *Proavus mater-
nus* fuit, Vir quondam Spectatissimus DN. CHRISTIANUS KORT-
HOLTUS, Civis, Mercator & Quatuor Vir Laudatissimus in oppi-
do quod Bergam sive Burgum vocant. *Proavia materna* autem DO-
ROTHTEA PECHLINIA; ex illa nobili Pechlinorum familia, quæ
multos & præstantes Viros Westphaliæ, Hollandiæ, & Cimbriæ dedit.

His optimis Parentibus genita nostra, & per baptismum regeni-
ta, in suæ regenerationis testimonium atque memoriam salutarem no-
men ANNÆ ELISABETHÆ obtinuit, & ut superius jam indica-
tum, Parentibus suis fuit singulare delictum, nam prudens Natura
tenellæ & ipsius ætatis, ut ordinariò tenellis assolet; adjunxerat datâ
operâ singularis svavitatis lenocinium, ut aliquo voluptatis velut au-
thoramento educantium intercurrentes molestias delinire posset,
quod ut junctum servavit annis collectis, ita ulterius tam prudenter
auxit

auxit, ut & Matri ob Parentis defuncti obitum Viduæ frequentia tristitia ac mœroris intervalla sæpius feliciter deliniret, in quâ laudabili methodo continuavit, & s̄vavitatis suæ lenociniis à naturâ optimis, & virtutum ac pietatis veræ exercitiis laudabilibus, quibus innutrita erat à primâ infantia, ut & precibus devotissimè ad DEUM pro matris & sui ipsius salute datis, dilectissimam Matrem, Viduam & se ipsam Parente orbatam, tanquam fulcris, ne collabescerent, eodumq; erexit, quòdumq; per corporis animiqve vires id licebat, donec tandem sub beatâ animæ & corporis analysi per fidem in Christum constantem beatè exspiraret.

Optimæ igitur B. n. Virginis animæ relictum Domicilium cum hodiè terræ tanquam communi corporum demortuorum retinaculo ad diem usque novissimum committendum sit, ad VOS CIVES ACADEMIÆ OMNES & O. O. & D. H. mea directâ est humanissima invitatio;

Prosequemini mecum frequentes solenniter indictum funus Virtuosissimæ Virginis, LINDEMANNIÆ, quò partim nos Virtutum veros æsumatores publico testimonio probemus, partim mœstissimam matrem tacitâ Parentatione, quæ frequenti funeris hujus nostro comitatu perficitur, & publicis eodumq; magis sufficientibus solatiis erigamus, ut eò majori patientiâ sanctissimi DEI voluntatem Sanctissimam agnoscat, eamqve devotè exosculetur. Præstamus insuper Charitatis debitâ officia debita, & veræ sic fidei consortes non sine suffragio publico nos declarabimus, quorum interest, ut humanarum calamitatum vices, quibus omnes sumus subiecti, nobis invicem & verbis & factis condoleamus, & sic cum Lugentibus lugeamus. Potissimum cum & hujus funeris occasione pensitare queamus:


Sapientiæ esse, aut mori quòtidiè,
quò in æternum Vivamus, aut
qui mori nolunt, æternitatem seriò
cogitare, in quâ semper
vivitur.

P. P. sub Sigillo RECTORATUS d. 9. Junii Anno 1713.
Conventus fiet hora 3. in ade D. Maria sacrâ.

plurimum partus sui dolorum ex fili
cò, & multò citius oblivisci, & pluscul
causâ concipere soleat, quàm cum
ita quoque ob filiaë obitum minus do
ter, sed sciat quisquis fuerit, sciat, in
huc sub iudice lis sit, an filiis, an fil
jus dandum sit gaudium? aut denat
concedendus dolor? Nam præter id
bia, si non magis anceps felicitatis sp
quàm filia sit, quia uterq; mortalis est
ut vocant, sexui sua est Majestas, n
inter naturæ errores & hallucination
dem hinc PAULUS, ubi viros salutat
Tryphina, Triphosa, Olympia, Persidis, Ju
Virginumque, & JOHANNES APOS
dam Epistolam inscribit *Electa Don*
ut addam testimonia necesse est, non
censeo, SARAM & AGARAM fuisse
rerum, & qui primi Salvatoris tumi
minæ erant, MARIE & MAGDAL
ANDREÆ, tardi venere SIMONES
videam, quò meritò sexui seqvior
queat majestas, aut non & sua deb
cum ita sint, nec præstet parere filii
nam, nec est, cur æqualem eumque
Mœstissimæ super obitū filiaë suæ un
ire inficias, aut sui doloris hic dete
nam jactura hæc vel ideò est planè
post Mariti sui charissimi discessum
utriusque sexus germine, filia & filio
tera sui solatii parte prorsus destitu
tum oriente pristini luctus casu
manniorum spes in arctum contrac
arctius contrahatur.

Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com

VierFarbSelector Standard - Euroskala Offset



Hæc sola luctus infrequentis causa sufficeret, quâ Mœstissima Vidua & Mater præsentem iustissimum & infrequentem Luctum vindicare posset, nisi mihi hodie incumberet, aliam superaddere eamque non minorem. Nam amittere Filiam exoptatissimam insuper dehorosum valde est, & avelli à Matre filiam dulcissimam & virtutibus sui sexus nulli secundam.

Tacere des Filia hujus demortuæ Virgini optimis & optimis & omnibus præmeritas, nisi velles autem si recedens suum egregium hinc hodiè Mœstissimam servasse & tempore permittunt, unde tæ annis Parentiâ singulari obedientiâ, ac morum suavitate & quibuscunq; bonis se committit. Formam, quam ipsi dederat natura elegantem, pietate verâ ac modestiâ redolentem, ut in juvenili ætate jam tum referret SARMAM, precum indefesso studio ANNAM, quo in baptismo appellata erat nomine, LYDIAM comitate & facilitate erga Dei Præcones & quoscunq; bonos, MATREM autem pari & castitate & patientiâ. Et sic nostra jam beata Virgo, *Pia* sine fuce, *Castâ* præter seculi morem, *modesta* sine affectatione, *facunda* sine garrulitate, *Prudens* ad invidiam sui sexus, & rei familiaris *fida* Matris administræ *socia* erat, & quod primum

